

legibus maximè odiosum sit, ut & lege naturali prohibitum esse judicetur à Justiniano, *in §. 1. Instit. de obligat.* quæ ex delicto nascuntur, eò tamen deventum est, ut lignum furtivum ædibus junctum ratione accessionis acquiratur, possessori *per l. 1. ff. de ligno juncto*, & domino satisfiat per solutionem dupli, ut ibidem. Quid igitur novi, si & hîc dicamus aliquid venire ratione accessionis & territorii, quod aliàs non veniret?

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio vigesima sexta.

Quæsitum quoque illud fuit, an concessa omni vel omni-
moda jurisdictione videantur etiam regalia concessa? Ne-
gatur, quia jurisdictione & regalia toto genere differunt, *propter*
cap. in generali, de reg. jur. in 6. & cap. quod translationem, extra de
offic. delegat. Quid verò, nunquid sub nomine, **Lands vnd Fürst-**
liche Obrigkeit/etiam regalia continentur? De omnibus cer-
tè regalibus hoc affirmare etiam nova imperialis constitutio
prohibet, **Reichs Abschied Anno 1576. §. der durch den.**

*An regalia
sub omni-
moda juris-
dictione,*

PRACTICORVM OPINIO.

Suprà id de mero imperio negatum fuit, quod veniat pro-
priè loquendo sub omnimoda jurisdictione. Idem multò ma-
gis negandum erit de regalibus, utpote cum regalia, etsi in
certo loco interdum exercentur, nunquam tamen ita re-
stricta erunt (de quibusdam loquimur) quò minus separari
possint commodissimè. Verùm jam e contra arguere licet,
quatenus de jure hodierno saltem quædam regalia plebeis
in feudum conceduntur, annon defendi posset, si certo loco
adhæreant illa, cum mero & mixto imperio **mit aller Herzlich-**
vñ Gerechtigkeit/concessa intelligerentur? Ut sunt salinarum
& piscationum redditus, de quibus vide *cap. 1. de regalib.* Hîc
quatenus